

$\pi$  n  
4325





K. 402, 23





XXVII  
DISSERTATIO HISTORICA  
De

II n  
4325

TRIBOCCIS

feu

ALSATIS,

Quam

*Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
consensu*

PRO LOCO

in eadem suo tempore obtinendo  
Posteriori vice,

*Die XVII Martii Ann: M DC XCIV.*

publicæ ventilationi submittet

M. JOH. BALTHASAR BEBEL, Arg.

Coll. Min. P P. Collegiat.

LIPSIÆ,

Typis ZEIDLERIANIS.



h. 1.





XXIII

DISSERTATIO HISTORICA

De

TRIBOCIS

seu

ALSATIS

Quam

Inchoat Facultatis Philosophicæ

composuit

PROF. LOCO

in eadem suo tempore obtinendo

Posteriori vice

Die XVII Martii Anno: M DC LXXV

publicæ ventilationi submisit

M. JOH. BALTHASAR BARBIER, Virg.

Coll. Min. P. P. Collegiat.

LIPSIÆ

Typis KRIBBEIANIS








B. C. D.

I.



Elati variis quondam insigniebantur nominibus. Vel enim Tribocci, Triboci, Treboces, Tribuces: Item *Τριβόχοι* dicti sunt, ut à *Strabone*, vel Triboni, ceu apud *Ptolomæum* legitur: vel denique Tribunci apud *Ammianum*; à tribus quercubus, vel ut alii putant à tribus fagis, *den dreyen Buchen* / Dryadibus Nymphis consecratis, quam derivationem & *Philippus Cluverius* admittit L. II. C. II. Germ. Antiquæ cum scribit: Nec eorum perinde displicet sententia, qui dictam sic nationem arbitrantur à loco, qui nunc *Elsatiæ* vicus dicitur; *den dreyen Buchen*

A 2

Bu



**Buchen:** id est ad tres fagos: Prisci enim Celtae tres dicebant thri, & variante Dialecto thre: fagus autem arbor, quae superioribus Germanis dicitur **Buche** & **Büche**; Inferioribus est boke: quemadmodum & Teutones nomen trahebant à Deo suo Teuth, ac Alemanni à Manno. Aliam tamen derivationem Triboccorum non à *Tribucher*; sed *Dryvobner*, quod Rheni accolae significat, petitam, speciosis non minus rationibus, quam communem illam suffultam deprehendit *Ulricus Obrechtus* p. 3. Prodroimi sui Rerum Alsaticarum.

II.

Illi autem, qui cum Scriptoribus mediæ ævi existimant appellationem traxisse à *Trebeta* quodam Nini & Semiramidis filio seu Privigno, quem Treviros condidisse fabulantur, gravem errorem errant testimonio illorum, qui ex genuinis incorruptæ antiquitatis monumentis non contrarium tantum probarunt; verum & Alsatiam a fictitio Trojanorum non minus ac Trevirensium liberarunt dominatu. Inter quos referendus *Specklinus* quidam in Chronico suo Manuscripto, quod Argentorati asservatur; antiquissimos Magistratum Tribocchorum constituens Trebetam modo commemoratum, (unde & *Tribechi* aut *Trebechi*



bechi dicti sint) & ex hoc prognatos Reges ac Duces, qui quotannis apud Triboccos Argentorateses sub Dio convenissent in Aula ab Iphis structa & vocata Aula Regia, prope Divi Galli Cœmeterium; aut juxta alios, Domum Templumque Johannitarum.

### III.

Verum enimvero ut notissimum est, gentium familiarumque origines quo vetustiores jactantur, eo incertiores ut plurimum esse; sic sola ratio à silentio præstantissimorum Autorum petita sufficiens est ad destruendam hanc Specklini absurdam ac temerariam sententiam, utpote cum apud nullum Authorem, qui ætate superior Cæsare, Ptolomæo, Strabone aliisque extitit, nomen vel Triboccorum vel Argentorati, præcipui eorundem oppidi, commemoratum legamus.

### IV.

Nomen Origine *Celticum* est è Celtica Trans-Rhenana allatum, cujus Linguae cum pronunciandi æque ac scribendi insignis fuerit difficultas, neutiquam mirum Vocabuli hujus Triboccorum terminationem ac sonum integrum, judicante *Obrecht*,

A 3

a Ro.



à Rōmānis Græcisve in suæ Lingvæ genium fuisse de-  
tortum: cui opinioni vel hanc ob causam subscri-  
bere nulli dubitamus, quod hodiernis etiam mori-  
bus est receptum, alterius nationis vocabula, aspe-  
riora potissimum, Lingvæ suæ maternæ genio accom-  
modare. Sic *Galli* occupata tota Alsatia haud pau-  
corum vicorum urbiumque nomina, tum quoad pro-  
nunciationem, tum scriptionem mutarunt. Nam  
in Lingua nostra, ceu nemini ignotum est, multæ  
occurrunt voces, quæ ob concursum Consonanti-  
um insigni difficultate pronuntiandi laborant: cum  
autem Galli lenitati ac suavitati sermonis sint assueti,  
factum est, ut vocabula aliter atque aliter efforma-  
rint, quo suavius minorique cum molestia illa expri-  
mere ac pronuntiare valerent.

V.

Quando autem Tractui Triboccorum inditum  
fuerit *Alsatia* nomen certum nequit definiri tem-  
pus: *B. Rhenanus* Lib. I. Rerum Germanicarum exi-  
stimat ab Elcebo Elses vel Elces vernaculum Regio-  
nis nomen deductum esse, vel ab hoc illud vocatum,  
quod primo ei tractui tantum, qui circa Ellum flu-  
vium est, tributum fuerit; deinde toti Regioni, ve-  
teri Triboccorum denominatione abolita. Nam  
Alsa-



Alsatiæ vocabulum recens esse ætatē Caroli Magni  
aut circiter natum, ex Diplomatis quibus Lebracen-  
se Cœnobium exornat, & ubi Alsatiensis pagi men-  
tio fit, constat: Quibus verbis motus Joh. Jacobus  
Chiffletius Capite I. Alsatiæ suæ vindicatæ statuit: Al-  
satiā ab Ello flumine dictam esse ELSASS & EL-  
SAZ, indeque orta nomina Latina Elsatia, Elisa-  
tum, Alisatia, quorum ante octavum Seculum nul-  
la esset injecta mentio.

## VI.

*Obrechtus* licet de horum nominum origine  
nihil habeat quod pronuntiet certi; vetustatem ta-  
men illorum ad Seculum Sextum vel Septimum pro-  
rogandam censet, idque autoritate Testamenti, cuius  
*Fredegarius Chron. C. 37.* meminit, cum dicit: Childe-  
bertum Austrasiæ & Burgundiæ Regem ita inter Filios  
Regnum divisisse, ut Theodorico *Alesationes* cede-  
rent. Nam sive Nomen hoc à Testamento hausit,  
factum illud esse sub finem Seculi Sexti, probat *Ob-  
rechtus*, extincto Childeberto Anno Christi 596. sive  
ex usu ætatis suæ produxit, constabit; Ipsum Seculo  
vixisse Septimo.

## VII. Quo-



## VII.

Quomodo tandem vocabulum *ELSASS* natum sit, sequentibus mentem suam verbis prodit *Obrechtus*, quæ, cum ejusdem Prodrumus in paucissimorum versetur manibus, adscribi merentur: videtur, *inquit*, quacunque demum origine, Alsatia, Elsatia, Alesatia, & ex his postea Helizatii aliaque similia nomina in loquendi usum fuisse deducta, prout hominum Seculorumque Dialectus ferebat; donec vulgare Idioma in Elsassio subsisteret. Ita Castellum Episcopatus Paderbornensis, Aliso Vellejo & Tacito, ἐλίσιων Dioni. Helsen, Hilesan, Heleleson appellatum, hodie Elsen vocari discimus ex Eruditissimo Monumentorum Paderbornensium Interprete: Suntque & infinita vocabula alia, quæ per easdem vel similes plane vices ambulaverunt.

## VIII.

Quod ad nationem spectat *Tribocci* Germanis accensendi veniunt juxta *Tacitum* Cap. 28. de moribus Germanorum sic scribentis: Ipsam Rheni ripam haud dubie *Germanorum populi* colunt; Vangiones, *Triboci*, Nemetes &c. quondam cum multis aliis Celtæ appellabantur; nec nisi serò nomine discreti: Sic quoque Dionis Interpres Lib. 39. antiqui-



quitus populi, qui ex utraque parte Rheni habitabant,  
Celtæ uno nomine appellati sunt.

IX.

Et quanquam Rhenum Galliaë Limitem Orientalem constituat Ipse *Cæsar*, ceu Germaniaë Occidentalem terminum; sciendum tamen eundem in describendis limitibus justo liberaliorem extitisse ac generalius locutum esse: quapropter & Verba Ipsius non strictim semper accipienda, maxime cum apertum sit, ab Ipsomet *Germanis* fuisse annumeratos, & Germania quondam divisam fuisse in Cis-Rhenanam & Trans-Rhenanam: quippe non omnes Germaniaë Populi Germania in habitant; verum & alias terras occuparunt, quarum numero illæ quoque extiterunt, quas *Sequani* ac *Mediomatrici* incoluerunt.

X.

Illi sunt quos hodie Burgundos vocamus; hi verò Metenses, quorum Primaria Urbs *Diviodurum* sive *Metæ*, Gallicè *Mets*, ac ejus tractus *le Pais Messin* dicitur. Hic sciendum Veterem *Mediomatricorum* agrum longè amplioribus fuisse circumscriptum limitibus ac hodiernum: ille enim comprehendebat quamplurimas Regiones *Mosam* inter & Rhenum

B fitas,



fitas, cum hujus fines absolvantur: Lotharingiâ, Au-  
strasiâ, Palatinatu Rheni ac Alsatia Inferiori.

## XI.

Quæstio nunc oritur: utrum Mediomatrices seu  
Mediomatrici ac Sequani veteresque Indigenæ a Tri-  
boccis Rhenum transmittentibus sedibus suis fuerint  
pulsî? Sunt qui affirmant, negantium tamen partes  
tuetur *Obrechtus*, qui loco quodam Julii Cæsaris ad-  
ducto *sic scribit*: Ut adeò Triboccos, postquam  
Rhenum transmiserunt non ejectis prioribus habita-  
toribus: sed cum his Fœdere, affinitatibus, com-  
merciis sive mixtos sive conjunctos hunc Tractum  
coluisse vero proximum sit: donec Romani hos il-  
losve sub Imperium redactos, prout securitati suæ  
conducere arbitrabantur, disponderent, colloca-  
rentve.

## XII.

*Regionem* quod spectat, mira cœli temperie  
gaudet. Hinc vini omnisque fere generis fructuum  
feracissima; adeò ut non fertilitate tantùm nulli alii  
in Germania cedat, verùm & circumjacentes terras,  
Helvetiam, puto, Burgundiam ac Lotharingiam  
Copia sua reficere valeat. Et quamvis superiori bel-  
lo



lo multum damni ab utroque milite, Foederato nimirum ac Gallico perpeffa fuerit; proximis tamen, qui Pacem Neomagi sancitam fequebantur, annis, priſtinam ſuam recuperavit felicitatem.

### XIII.

Dividitur Alſatia in *Superiorem & Inferiorem*; Illius Urbes præcipuæ audiunt; Colmaria, Seleſtadium, Rubeacum (*Rufach*) Enſiſheim, Rochſpoletum, *Rappolſwener* / Keyſersberg, nonnullæque alia. Hujus vero Tabernæ, *Zabern* / Epifcopi Argentoratensis ſedes, Molſhemium Academia Epifcopalis; Epifcovilla, ſive *Biſchweiler* / ubi Dux Palatino-Birckenfeldicus reſidet; Buxovilla, *Buchſweiler* / ad Comites Hanoicos ſpectans, *Weiffenburgum* Landavia, & quæ omnium prima ac præcipua ſalutatur *Argentoratum*, quæ ob Fortalitia magno ſumptu inde a tempore occupationis Gallicæ ibidem extructa munitiſſimis Europæ urbibus accenſetur, cui nomine Regis Galliarum præſunt militiæ Præfectus Supreme (*Commendant* dictus) 2. *Legatus Regis* a ſolo Rege dependens, 3. Excubiæ Præfectus, qui Gallicis *Major de la Place*; Germanis verò *Stadt-Major* audit, cujus partes ſunt, quotidie recentes excubias in præſidio ac ſtatione collocare. Quartus ſum-



mus per Alsatiam rei judicariæ ac ærarii Præfectus, *Intendant* a Gallis appellatus, a cujus tamen sententia ad Supremum Alsatiaë Parlamentum provocare possunt partes litigantes, *Ensisheimii* primò An. 1657. erectum, & postea An. 1675. *Brisacum* translatum.

#### XIV.

Hos excipiunt Prætor ac Syndicus Regius nec non Magistratus oppidanus, qui peculiari ac a cæteris distinctâ gaudent Jurisdictione. Cui volupe plura de Urbis hujus tum Latinâ tum Germanicâ significatione, ejusdem origine, Incremento aliisque ad eam spectantibus nosse, is adeat *Obrechtii* sæpius citatum Prodromum rerum Alsaticarum, *B. mei Parentis* Antiquitates Argentoratenses, *Bernhardi Herzogii* Chronicon Alsatiaë; nec non Manuscriptum *Königshoferi* cum lucem viderit: quippe quod cum notis editurus est propediem Excellentissimus *Schilterus*, Argentorati degens.

#### XV.

Supereft, ut nonnulla de *Religione* Tribocchorum addamus: Notissimum autem est Ipsos tenebris Gentilismi immerfos fuisse, ac Diis suis nonnunquam sanguine humano litasse, ceu Tacitus refert:

*magi-*



*magicas* quoque artes exercuisse *Specklinus* in Chronico suo tradit, quorum Duces de eventu belli sæpissime consuluerint monstrum quoddam aquilino, bufonino & leonino capite gaudens. Cur *Imagines ac Tempia Deorum* respuerint? ejus rei rationem reddit *Tacitus* Cap. IX. Imo & aliquando nullos agnoverunt Sacerdotes. Deorum numero habuerunt *Tuistonem* quendam & *Mannum* aliosque: illorum præterea coluere deastros, a quibus victi fuerant, & cum quibus misceri cœperant, donec successu temporis meliora persuasi atque edocti, ejuratis avitis Sacris Christo nomen darent; de qua conversione evolvi possunt B. Parentis Antiquitates.

## XVI.

Alsati hodierni vel *Papisticam* vel *Lutheranam* sectantur Religionem, exceptis paucis Reformatis, Argentorati ac Episcovillæ degentibus. Nos interea ardentissimas ad Patrem misericordem fundamus preces; ut puriorem sui cultum illis in locis perpetuum esse jubeat, quibus adhuc viget. Ei sit honor, Laus & Gloria in secula nunquam terminanda.

**F I N I S.**

B 3

AD.



# ADDENDA.

I.

**K**ἤνοσ & quod idem ac Census, origine  
non Græcâ; sed Latinâ gaudet.

II.

Primus, qui Censum instituit, Ser-  
vius Tullius salutatur.

III.

Intentio bona non semper agentem  
excusat.

IV.

Dari strategemata, quibus adver-  
sus hostes uti possumus, consensu gentium  
probatum.

V.

Sub nomine Celtarum antiquissimis  
tem-



temporibus Europæ nationes 'compre-  
hensas fuisse Historicorum præstantissimi  
tradiderunt.

VI.

Ordo Publicanorum magna quon-  
dam dignitate apud Romanos fuit.

VII.

Principes, ob prægnantes tantum-  
modò causas Imperio sese abdicare de-  
bent.

VIII.

Stolidè Turcici Imperatores, ad e-  
molliendam fratricidiorum immanita-  
tem, apud Leonclavium excipiunt: se,  
familiari Osmanidarum Genti supplicio  
cavere, ne vel gutta pretiosi sanguinis  
illius Osmani profusa, solo spargatur.

IX. Phy-



QX IV 4325

IX.

*Physices studium reliqua ferè omnia  
jucunditate vincit.*

X.

*Species est perfectior genere.*

XI.

*Ἐρολογία sive doctrinam termino-  
rum præ ceteris sibi vindicat  
Metaphysica.*



IX. Phy.





st  
ia  
b  
m  
d  
m  
st  
h  
o  
h

ULB Halle 3  
002 619 261  


1077









K. 402, 23.

TR

DISS

A

Inclutæ

in eader

Die X

M. JOH.



CA



CIS

nicæ

endo

IV.

Arg.

n. 2.1.

